

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 4526

**Auteur(s) :** Dol (official)

**Bénéficiaire(s) :** Poilley, Notre-Dame de Montmorel (abbaye, abbé)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1259

**Action juridique :** notification

**Langue du texte :** latin

## Analyse

L'official de Dol notifie l'accord conclu entre l'abbé et les chanoines de Montmorel, d'une part, et Geoffroy Apollayne, écuyer, d'autre part, sur quelques terres, revenus et services sis à Saint-Marcen.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Mont-Morel, n° CCV, p. 204-205.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis officialis Dolensis salutem in Domino. Cum contentio verteretur coram nobis inter religiosos viros abbatem et conventum Beate Marie de Monte Morelli, Abrincensis dyocesis, ex una parte, et Gaufridum Apollayne, nostre dyocesis, ex altera, tunc temporis armigerum, super quibusdam terris, redditibus, obedienciis eisdem religiosis a patre dicti Gaufridi et ejus antecessoribus, ut dicitur, elemosinatis, sitis in parrochia Sancti Marcanni et de Ros supra Coysnon, tandam constitutus in jure coram nobis dictus Gaufridus confessus fuit quod, pravo ductus consilio, dictos religiosos super predictis injuste molestabat, confitens predicta, tamquam rediens ad cor, data et elemosinata a patre suo et antecessoribus supradictis fuisse religiosis supradictis in perpetuum habenda et possidenda, videlicet tenementum et feodum au Hure in parrochia Sancti Marcanni et tenementum Johannis Farsi et Michaelis Lespingor et eorum participum, situm in parrochia de Ros, juxta molendinum domini Johannis de Dol, militis, volens et concedens, pro salute anime sue et antecessorum suorum, hec predicta dictis religiosis et eorum sequacibus in puram et perpetuam elemosinam remanere, excepta una acra terre cum quodam ortulo sitis in parrochia Sancti Marcanni inter duas hayas prope terram as Picoz, quam acram cum ortulo predicti religiosi eidem Gaufrido et heredibus suis in excambium assignarunt pro quadam pecia terre contigua manerio dictorum religiosorum de Paluel, sita in feodo as Pinarz, eisdem a dicto Gaufrido in excambium, ut dictum est, pro dicta acra terre et ortulo assignata ; quam peciam terre juravit dictus Gaufridus in perpetuum dictis religiosis ab omnibus garentizare (sic) ; juravit etiam dictus Gaufridus quod predictos religiosos, seu aliquem eorum vel eorum homines aut colones dictarum terrarum super predictis de cetero nullatenus molestabit per se, vel per alium, nec procurabit molestari, obligans heredes suos specialiter et expresse ad hec predicta ; et nos ipsum Gaufridum ad omnia supradicta tenenda presentem et consentientem finaliter condampnamus. Datum anno gratie M° CC° quinquagesimo nono.